



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Evtychivs M. 15. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. EUTYCHIVS M. 15. Aprilis.

HOc die Ferentinates EUTYCHIVM Martyrem colunt, etsi ubi, aut quando animam posuerit, nesciant Annales. Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur; nam istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EUTYCHIVS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirent alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorum curatores non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus. Ventum est. Ferentinum Hic fessus lectulum sibi adornari propter tumulum Martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumque censens à sepulchro lectum distare, quantum mors & mortis germanus frater somnus distant. Tunc quoque inter curas insomnem ferè noctem agenti EUTYCHIVS visus adstare, & querere num vigilaret? affirmanti deinde illa verba tertium inclamare: *finis venit universa carnis*, simul vaticinium ipse quoque finire. Atque hæc noctis prodigia diei portenta exceperunt. Visa & audita cælo arma quassari, & vento Aquilone duce castra ignea & ignea acies imminere. Hæc verò omnia explicarunt non multò post Langobardi, cùm è Sequentione Italiæ se infuderunt, sacra humanis, humana sacris miscuerunt, clademque patriæ intulerunt. Inter hos ipsos tamen armorum strepitus suaviter Redemptus obdormivit. Obdormivit inquam, nam parum differre mortem à somno ostendit vivus cum mortuis dormiens. Ex Ferrar.

Greg. Mag. Dial.

Petendum nobis est, ut Deus nos à Diabolo liberet.

qui

qui Christū terris, ut diabolum vinceret, commo-
davit. Clamet homo, elamet ad Deum, clamet,
Libera nos à malo; ut à tanto malo, solo Christo
vincente, liberemur. S. Pet. Chryf. serm. 70.

S. IOACHIMVS CONF. 16. Aprilis.

Felices Senæ! vel ideò quòd inter tot mundi
hodie libertos, ipsæ servos tot VIRGINIS nu-
merant. Ex his IOACHIMO nostro pileum hodie
in cælo Domina dedit. Vir fuit obsequendi studio,
sui contemptu, sed præcipuè charitatis æstu in
ægros mirandus. Exemplo fidem habe in paucis
memorando. Iter illi Arretium, ex itinere obuius
fuit, qui epilepsi, sed multò magis impatientiâ la-
borabat. Noster verbis, consilio, operâ suâ solatur:
sed nequicquam gravius jam animo quàm corpo-
re periclitante. Hic IOACHIMVS post preces
Deo fufas, in se novus medicus morbum omnem
transfert. Igitur Arretii ipso DOMINÆ ASSVMPTÆ
die, dum sacrificanti servit, cereumque elatæ in
sublime Eucharistiæ manu prælucet, cadit morbo
impellente: cereus tamen stationè in medio aëre
servat, gaudente utique Angelo in hominis offi-
cium involare. Sub hæc Senis vi morbi iterum
cadit, mensamque secum instructam trahit. Nihil
tamen fractum, nihil confusum. Sed & alia prodî-
gia clarum fecerunt, ut apertâ ad preces portâ,
radii precantis in oculo (quò sæpius assuevit con-
cedere) caput visî cingere. Cæterum morbo omnî
superior, illud etiam velut vitæ rectè actæ præ-
mium à cælo emendicavit, ut viventis carnes ver-
minum agnien popularetur. Fatum obiit, quale ex-
petiit ac prævidit, ipso Christi morientis die, cum
illa verba focû legerent: *Et inclinato capite emisso*
I *Spiritu*